

rum genere peraffluentem. » Non multo aliter S. Isidorus in vita S. Job apud Lipel. 10 Maii : « Post noctis tristitiam, inquit, diem genuit : post foetorem ulcerum cassiæ odore fragavit : sed et post abjectionem cornu inunctionem regni promeruit, et tibiam in acceptum laudis accepit. » Ad hæc quia prius in tenebris stravit lectulum suum (Job. XVII.) et ærumnosam duxit vitam, securæ felicitatis memor, primam filiam appellavit *Diem* quasi jam e tenebris ad lucem emersisse. Quam in sterquilinio inter vermes et ulcera foetorem perceperat horribilem, secundam appellavit *Cassiam*, cujus odor est purus et gratissimus. Quia a vermibus corrosus et macie consumptus atque exsanguis omnem perdidit speciem; tertiam appellavit *Cornustibium*, quod est vas candoris ac ruboris medicamento plenum, quo picto facies alienum, sed gratum colorem induit atque ostendit. Sic nimirum electis in altero sæculo luctus omnis in gaudium convertetur. Mardocheus prius sacco indutus, postea purpura et torque ornabitur. David ante pugnam sago pastoritio vestitus, postea pretiosis Jonathæ vestibus induetur. Arca per desertum pellibus cooperta, postea auro vestietur et in templum inferetur.

V. Ficus quando germinat, hiemem jam præterisse, nec ejus frigora amplius pertimescenda, sed æstatem præ foribus esse nuntiat. Ita S. Chrysost. ho. XL. in Matth. « Quare, inquit, non ex aliis arboribus, sed potius de ficu sumit similitudinem æstatis? Quia postquam aliæ arbores vernare cœperint, frequenter evenit, ut accedens frigus præcidat æstatem, et iterum arbores indurescant : ficus autem, quia pene post omnes arbores vernat, difficile post ficum frigus intervenit. » Stabilem ergo æstatem nuntiat ficus germinans. Et hæc summa atque immensa justorum consolatio est, stabilis et æterna quies ac beatitudo in cœlo, ab omni timore et tristitia libera atque libera. De qua Apoc. VI. Joan. ait : *Non esurient neque sitient amplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus.* Ubi alludit ad milites, qui post labores, vigilias, stationes sub dio velitationes, prælia, quiete et

bravio donantur; sic enim justos in hac vita certantes fortiterque tolerantes omnia adversa, transacto certamine, ab iis omnibus fore deinceps immunes, et perpetuum triumphum acturos. Ficus olim athletis dabatur : quod hominem corroborent. Secundum Isidorum et alios Christus suis athletis tales dabit ficus, quæ ita eos roborabunt, ut non esuriant, nec sitiant, neque æstuent neque frigeant in æternum. Quales et quam dulces ficus ! Sub regno Salomonis regis pacifici, cum jam nullus esset hostis Judæorum, nullus Satan, neque occursum malus, essetque pax ex omni parte in circuito, *Habitabat Juda et Israel absque timore ullo, unusque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee cunctis diebus Salomonis*, III. Reg. IV. Qui loquendi modus summam pacem et securitatem ab hostibus, latronibus, feris simulque summam rerum abundantiam indicat; quia pax mater est opulentiae et copiarum, deliciarum et gaudiorum. Sit continua per annos centum pax in terra nostra, quanta, putatis, erit rerum abundantia ! Quanta opulentia ! Quis luxus ! et deliciæ ! (Hæc enim de causa submittit Deus subinde pestem aut bella, ne crescente nimis rerum copia, crescat et malitia.) Quid igitur divitiarum ac deliciarum non dabitur in cœlo, ubi continua pax est, et securitas æterna ? Cum sedebit unus quisque sub ficu sua ? Quid enim ficus a Domino in hodierno Evangelio adducta aliud nuntiat, nisi futuræ æstatis in altero sæculo uberes et dulcissimos fructus ab electis percipiendos per omnem æternitatem ? Quando igitur tam præclaros tamque optatos fructus gignit virtutis ficulnea, quis non excitabit in seipso horum fructuum appetitum ? Quis non strenue pugnabit, ut his dulcissimis ficibus saturari queat ? Certe Persarum regem Xercem, cum aliquando ficus et Græcia Atticas degustasset, inde accensum ferunt, ut Græciam bello peteret. Plutarch. In Apoph. Postquam ergo et nos nonnihil delibavimus præclaras virtutis ficus, accendamus etiam nos, ut pro iis comparandis fortiter pugnemus, quamdiu in hoc campo sub vexillo crucis militamus.

DOMINICA SECUNDA ADVENTUS.

EVANGELIUM, MATTH. XI.

In illo tempore : cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mitens duos de discipulis suis, ait illi : Tu es, qui venturus es, an alium expectamus ? Et respondens Jesus ait illis : Euntes, renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis; cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur : et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Illis autem abeuntibus, cœpit Jesus dicere ad turbas de Joanne : Quid existis in desertum videre ? Arundinem vento agitatam ? Sed quid existis videre ? Hominem mollibus vestitum ? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Sed quid existis videre ? Prophetam ? Etiam dico vobis, et plusquam Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est : Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te.

CONCIONES.

- I. Quid faciendum per adventum.
- II. *Judicii particularis processus.*
- III. *Judicii universalis et ultimi conventus.*
- IV. *Cur in mundo pauperes.*
- V. *Tria vincula justorum.*
- VI. *Vincula peccatorum, quibus retinentur.*
- VII. *Conscientia non offendenda.*
- VIII. *Luxus vestium reprehenditur.*
- IX. *Quinam instar arundinis varii et inconstantes.*

- X. *Documenta Evangelica.*
- XI. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTUARI.

- I. *Quibus in rebus aliqui scandalizati sint in Christo, unde magis eum amare debebant.*
- II. *Vestium luxus damnis et periculis plenus.*
- III. *Vestium luxus cœlo inhabilis.*
- IV. *Vestium luxus quousque illicitus.*
- V. *Pauperes a civitate sua alendi.*

CONCIO I.

QUID FACIENDUM PER ADVENTUM.

- I. Carni aliquid detrahendum. — II. Expianda conscientia. — III. Meditatio adventus Christi instituentia. — IV. Desiderium Christi instituentium. — V. Eleemosyna largius facienda, et præparatio ad communionem.

THEMA.

Tu es, qui venturus es ? Matth. XI.

Novimus, auditores, quando imperator ad aliquam civitatem imperialem venire, et comitia vel alia negotia ibidem peragere constituit, prius in ea urbe præparari illi domum, quam fieri potest amplissimam et splendidissimam tantoque principe dignam. Quod si facere detrectarent cives, nemo non de illis diceret : Isti vel contemnunt imperatorem suum, vel nesciunt an imperator sit. Expectamus nos, charissimi, imperatorem nostrum Christum prope diem venturum, et de magnis rebus in terra tractaturum de salute nostra. Videamus igitur nos,

mundi hujus cives, qualem huic imperatori domum præparemus. Davidem audiamus, qui cum immensam vim auri, argenti, æris, ferri, lignorum et lapidum pretiosorum præparasset in ædificationem templi, dixit : *Opus namque grande est ; neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo.* I. Par. XXIX. Philonem audiamus, Hebræorum disertissimum : « Etiam si tota terra aurum, (ait in I. de Cherubim) aut si quid auro pretiosius est, repente fieret, moxque per opificum artes in porticus, vestibula, aulas, areas, aedesque sacras impenderetur, ne scabellum quidem pedibus Dei posset fieri. » Quid ergo nos faciemus ? Audiamus eundem Philonem, mox subjicientem : « Dignum tamen eo domicilium anima est, modo sit idonea. » Quæ cum ita sint, videndum et conandum nobis est hisce diebus, qua ratione animas nostras Deo præparemus in habitaculum tanto principe dignum. Ad hoc enim admonere nos vult Ecclesia per hodiernum Evangelium, dum venturi regis magnitudi-

nem nobis ponderandam objicit: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Considerans enim Mater nostra, quam turpiter egerint Bethlehemitæ, qui Christum mox nasciturum ab ædibus et civitate sua excluserunt et in stabulo divertere coegerunt, sollicitè nos admonet, ne simili contemptu in fœtido cordis stabulo eum recipiamus, sicque iram Dei justissimam in nos provocemus. Itaque nunc videbimus, quid agendum sit per adventum, ut animas nostras Christo, debito preparemus modo.

Gratum, arbitror, Deo cordis nostri tabernaculum erit, si, quale olim sibi a Moysè extrui mandavit Exod. XXV. et nos ædificemus. Quinque in eo fieri potissimum voluit: in introitu seu atrio tabernaculi, altare holocaustorum, et Lavacrum æneum in quo lavarent se sacerdotes antequam ad sacra accederent; in tabernaculo candelabrum, altare thymiamatis, et me sam.

I. Primo igitur et nos extruamus altare holocaustorum, quod est cor per mortificationem se Deo immolans. Id in atrio fieri debet, hoc est, priusquam ad ipsum Deum accedamus. Victimæ immolandæ sunt, concupiscentiæ, corporis delectationes, curæ et desideria sæcularia, etc. a quibus decet hoc præsertim tempore animum abstrahere. Ad hoc invitat nos, primo Ecclesia, dum hoc tempore cantica quædam lætitiæ, Gloria in excelsis, et Te Deum laudamus, omittit, dum cæruleo colore utitur, dum altaria claudit, nuptias inhibet, dum choreas et tibias prohibet. Invitat exemplum S. David, qui ab aula et mensa regis Saul se subduxit, ut iret in Bethlehem, eo quod ibi victimæ solemnes essent, I. Reg. XX. Quid fecisset, si tunc ibi Christum natum se inventurum scivisset? Invitant et pastores, qui super gregem suum vigilias noctis custodientes, tibiis canentes, accepto nuntio de adventu Christi, cantum utique abruperunt, et tibias in saccos reposuerunt, gregemque deseruerunt, et ad Christum properarunt, dicentes: *Tranreamus usque Bethlehem et videamus hoc Verbum.* Luc. II. Sic, sic, auditores, reponamus modo profanas mundi oblectationes et illecebras, convivia, choreas, nocturnos conventus, ludos, cantilenas, etc.: eamus in Bethlehem quia victimæ solemnes ibi sunt. Hoc, isto tempore, fecere olim Christiani; vigilabant in oratione et templo, uti claret ex homiliis S. Leonis de jejun. X. mensis. Ubi habet *Feria IV. et VI. jejunemus, sabbato autem apud B. Petrum Apostolum vigilias celebremus.* Sed quam diversæ nunc Christianorum vigilie, præsertim illæ, quæ in nocte Nativitatis fiunt a veterum vigiliis!

Deinde nunc Christiani nonnihil a negotiis sæcularibus animum avocare, et plusculum

temporis divino deberent cultui impendere, sacrum quotidie audire, etc.: sic enim locum et quodammodo lectum Christo præpararent. Nam si cor nostrum plenum sit curis et cogitationibus sæcularibus, de lucro, de alimento, de opibus conquirendis, augendis, conservandis, etc. quomodo locum in nobis vacuum inveniet? An non ideo Christus e Bethlehem exclusus est, quia jam omnia diversoria hospitibus plena erant? Et cur altare holocausti cavum erat interiorius, nisi ut disceremus cor nostrum evacuare ad Christum recipiendum?

Denique subtrahendum est carni aliquid, cibus videlicet et potus largior, somnus item, etc. statuta saltem Ecclesiæ jejunia rigide observanda, ut sic de omnibus quæ possidemus, voluntate, carne, fortunis aliquid detrahamus et Deo immolemus.

II. Labarum æneum, id est, lavacrum penitentiae. In hoc enim lavari imprimis sacerdotes, deinde fideles omnes, qui et ipsi modo aliquo sacerdotes dici possunt, fiuntque participes mysteriorum Christi, ante ingressum ad sacrificium et communionem oportet; quemadmodum et labarum seu lavatorium illud in atrio tabernaculi erat. Hoc idem sibi volebat olim aqua ad purificationem præ foribus Ecclesiæ posita, ut Christiani communicaturi ibi prius lavarent manus, quibus corpus Christi excepturi erant, ut videre est apud Euseb. lib. X. histor. cap. IV. et in VI. synodo can. CI. Nunc vero quia non amplius manibus excipimus Eucharistiam ut olim, sed ore tantum, sufficit nos per confessionem sinceram expurgare os, et hoc mediante conscientiam, quia per os in cor transmittimus S. Eucharistiam. Ad hoc invitat nos Ecclesia, his diebus, dum tres aut quatuor hebdomades adventus Nativitati Christi præmittit, quibus conscientiam nostram sufficienter examinare, et juxta Apostoli præceptum nos ipsos probare queamus, antequam de pane illo edamus. Hinc labarum illud factum erat de speculis mulierum Exod. XXXVIII. (quia undique septum erat speculis, collatis a mulieribus, ut in iis se contemplerentur sacerdotes, num essent maculis aspersi) «Specula mulierum, inquit S. Gregor. hom. XVII. super Evang. sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ indesinenter aspiciunt, et, si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, et quasi relucentes vultus velut ex reddita imagine componunt, quæ dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis procul dubio, vel quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt.» Sic ille. Nec frustra specula mulierum dicuntur; quia viri obiter tantum, mulieres autem sedulo se intuentur in speculis, eoque fine, ut maculas abstergant: ita examen conscientiae sedulo fa-

ciendum, ut, si quæ deprehendantur maculæ, per confessionem eluantur. Invitat deinde exemplum patriarchæ Jacob, qui, cum a Deo jussus esset ascendere in Bethel, et facere ibi altare, mox convocavit totam domum, et præcepit ut abjicerent deos alienos, et mundarent ac mutarent vestimenta, Gen. XXXV. Ita ergo Christianus quilibet hoc tempore, quo vocatur in Bethlehem, et erigere jubetur Deo altare cordis sui, convocet familiam suam, intellectum, voluntatem, memoriam, quinque sensus suos et si qui in illis dii alieni latent, Venus, Bacchus, Mars, Mammon, etc. mox abjiciat. Ita sollicitus ille paterfamilias S. Augustinus faciebat, qui hac ipsa secunda Dominica adventus, congregato cœtui suo sic incepit concionari: «Sanctam et desiderabilem, gloriosam ac singularem solemnitatem, hoc est, Nativitatem Domini, fratres dilectissimi, devotione fidelissima suscepturi, totis viribus nos debemus cum ipsius adjutorio præparare, et omnes latebras animæ nostræ diligenter aspiciere, ne forte sit in nobis aliquid peccatum absconditum, quod et conscientiam nostram confundat ac mordeat, et oculos divinæ Majestatis offendat. Nam licet Christus Dominus noster post passionem resurrexerit et in cœlum ascenderit, considerat tamen, ut credimus, et diligenter attendit, qualiter se unusquisque servorum ejus sine avaritia, sine ira, sine superbia atque luxuria ad celebrandam ejus nativitatem studeat præparare atque componere, et, secundum quod unumquemque ornatum bonis moribus viderit, ita illi gratiam suæ misericordiae dispensabit, etc.» Et paucis interjectis: «Si aliquem viderit adulterum, ebriosum, cupidum et superbum, timeo ne hoc illi dicatur, quod in Evangelio Dominus ipse dixit: Amice quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? Et, quod Dominus avertat, fiat illud quod sequitur: Ligat illi manus et pedes, etc.» Hæc Aug. Hoc igitur et vobis, fratres, pro officio meo sedulo commendo. Dolenda res est confessariis, cum a confitentibus vix possunt obtinere materiam absolutionis, quos tamen advertunt a multo sæpe tempore non confessos, et in gravibus peccandi periculis versatos. Itaque per hos dies præparet unusquisque se ad id, quod facere intendit, ut bene id ipsum faciat. Si enim non vult facere bene, melius est ut omittat. Vestes quæ suas purgat, antequam ad nuptias aut ad virum honestum eat, quid ergo facere oportebit proditurum ad Deum suum?

III. Candelabrum in sancto positum, quod de nocte sanctum illuminabat, eratque septifidum et habebat septem lucernas, Exod. XXV. significat lumen considerationis, quod hisce diebus accendere in cordibus nostris debemus ad expendendam beneficii Incarnationis excellen-

tiam et magnitudinem. Hanc enim ob causam per adventum Ecclesia tota est in beneficii hujus laudibus deprædicandis, inchoat officium hoc invitatorio: *Regem venturum Dominum venite adoremus*: proponit Evangelia de Christi præcursore, quia ut erat *Lucerna lucens et ardens*, teste Christo, ita annuntiat nobis magnitudinem regis venturi, profert figuras hujus mysterii et prophetias veteris Testamenti. Porro septem illius candelabri lucernæ septem circumstantiæ hujus beneficii sunt, dignæ quæ expendantur. Prima: Quis venerit? Is enim Filius Dei est. Quis hic non obstupescat? Si de aulicis suis ongelum unum aliquem vel infimum misisset ad consolandos et liberandos nos, hostes inquam suos? Annon sat superque id fuisset?

Secunda. Unde venerit? *A summo cœlo videlicet*, Ps. XVIII. *A regalibus sedibus*, Sap. XVIII. *De sinu Patris*, Joan. I. *De multorum millium angelorum frequentia*, ad Heb. XII.

Tertia. Quo venerit? In hunc scilicet mundum, in vallem lacrymarum, in carcerem captivorum, in regionem umbræ mortis, in nosocomium, et piscinam probaticam languentibus plenam.

Quarta. Ad quos venerit? Ad exules nimirum ejectos e paradiso, ad hostes et perduelles, ad mancipia dæmonum, ipsis quam simillima.

Quinta. Quomodo venerit? *Cum enim in forma Dei esset, exinanivit semetipsum*, inquit Apostolus ad Philip. VI. *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo.* Si monarcha terrenus ad liberandum mancipium a morte suam majestatem ad statum servilem demitteret, et servus servi causa fieret, quanti æstimaretur hoc beneficium? At incomparabiliter pluris est Deum ad hoc se demittere, cujus demissionem nemo mereri posset. Plurimum fuisset, si vel in forma visibili gloriosa orbem hunc lustrare et sua præsentia condecorare voluisset: quid igitur nunc dicemus?

Sexta. Quare venerit? Venit enim ut eriperet nos e potestate tenebrarum, ut quæreret ovem perditam, imponeret in humeros suos et ad aulam gloriæ suæ deferret; venit ut doceret nos tamquam magister, venit ut exemplo suo nos præiret ad virtutes et aspera quæque, venit ut in filios adoptaret et hæredes.

Septima. Quando venit? *Cum videlicet nox in suo cursu medium iter perageret*, Sap. XVIII. id est, cum humanum genus in densissimis ignorantiae tenebris versaretur, et totus mundus in maligno positus esset.

IV. Altare thymiamatis, in quo thymiama Deo incendebatur, Exod. XXX. significat vota et desideria pia, quibus Christi adventus desiderari debet, ut in nobis nascatur et ad nos divertat. Sicut enim desiderari olim voluit Christus a

patribus, quod attinet ad adventum suum in carne, (unde *Desideratus cunctis gentibus, desiderium collium veterum, expectatio gentium, etc.* dictus est) ita a nobis etiam desiderari vult, ut per suam gratiam ad nos veniat. Siquidem tale desiderium dispositio est ad hunc adventum. Hujus rei admonet nos Ecclesia, cum per octiduum præcedens Nativitatem, toties replicat illud O; (O sapientia veni ad docendum nos viam prudentiæ. O Adonai, veni ad redimendum nos. O radix Jesse, veni ad liberandum nos. O clavis David, veni et educ vincitum. O oriens veni et illumina sedentes in tenebris. O Rex gentium. O Emmanuel, veni, etc.) et vota, quibus expetit Christi adventum. Imprimis vero desiderare nunc deberent fideles Christum in Eucharistia ad se venturum, nam qui vere amant, amati ipsius præsentia gaudent, eumque desiderant: huc ergo intendere omnes nostras vires debemus, si magno cum fructu Christi adventu frui volumus, ut videlicet cum magna fame ipsum appetamus; siquidem *Esurientes implevit bonis*, ait ejus Mater sanctissima. Cogitemus, fratres, hospitalitatis magnitudinem, dignitatem, suavitatem, pulchritudinem, divitias: cogitemus et nostram indigentiam atque infirmitatem. Quantopere olim SS. Patres adventum ejus desiderabant? Nonne *Abraham exultavit ut videret diem ejus*, Joan. VIII. nonne *Multi reges et prophetae voluerunt videre, et non viderunt*? Luc. X. Quantum laborabant languidi, et afflicti, ut ad Christum medicum pervenire, eumque vel tangere solum possent? Nonne aliquando paralyticus per tegulas, effracto tecto, cum aliter non posset, demissus est in domum ad Christum? Luc. V. Idecirco omnes illi sanati sunt, quia magno desiderio ad Christum venerunt. Respicite volatilia cæli, quam hiant ore pulli in nido constituti expectant a matre cibum? utinam nos tantundem sentiremus inopiam nostram? Quanto appetitu ad communionem festinaremus? Quanto fructu recederemus?

V. Mensa ad excipiendos panes XII. propositionis, Exod. XXV. significat primo eleemosynam, quam præcipue his diebus liberalius erogare convenit, ut Christum in servis suis nobis conciliemus. Quales enim nos erga Christi membra exhibuerimus, talem ipse se in adventu hoc exhibebit nobis. Augustinum audi hac die concionantem: « Quod solebat, inquit, vanitas per gulam perdere, incipiat justitia per misericordiam pauperibus erogare: quod luxuria vel gula dissipavit in mundo, pietas reponat in cælo, et licet hoc expediat, ut semper eleemosynas facere debeamus, præcipue tamen in sanctis solemnitatibus secundum vires nostras abundantius erogemus, pauperes ante omnia frequentius ad convivium revocemus. Non

enim est justum, ut in sancta solemnitate, in populo Christiano ad unum Dominum pertinente alii inebrientur, alii famis periculo crucientur. Et nos et omnis populus unius Domini servi sumus, uno pretio redempti sumus, pari conditione in hunc mundum intravimus, simili etiam exitu migraturi sumus, et si bene agimus, ad unam beatitudinem pariter venimus. Et quare pauper tecum non captat cibum, qui tecum accepturus est regnum? Quare pauper non recipiat veterem tunicam, qui tecum recepturus est immortalitatis stolam? Quare pauper non mereatur panem tuum, qui tecum meruit accipere Baptismi sacramentum? Cur indignus est accipere reliquias ciborum tuorum, qui tecum ad convivium invitatus est Angelorum? » Hæc Augustin. Sit ergo cor nostrum ejusmodi mensa exposita pauperibus, et panes illis proponens, saltem hoc adventus tempore, sit aperta quædam penus omnibus indigentibus. Nemo hoc tempore claudat viscera sua egentibus: *Alioquin quomodo charitas Dei manet in illo?*

Secundo. Præparationem ad S. communionem. Erat enim pretiosa illa mensa de lignis Setim (quæ imputribilia erant, soliditate et pulchritudine aliis lignis superiora) auro obductis, quia panes sanctos sustinere debebat. Ita cor nostrum de lignis Setim, id est firmissimo constare proposito debet emendandi vitam. Ad hæc aureis virtutibus tegi et adornari, fide, charitate, humilitate, reverentia, etc. Et tunc demum poterit in eo collocari panis ille vitæ, qui de cælo descendit.

Hæc sunt, auditores, quæ observanda nobis videntur, si venturum ad nos Christum excipere, velimus. Præstaret alioquin eum non excipere, quam sine honore excipere; quod testatur Isaias c. IX. cum de Christi Nativitate prophetans ait: *Multiplicasti gentem, et non magnificasti lætitiā*; quasi dicat: Tu quidem splendore nativitatis tuæ multos illuminasti, sed quia lucem illam multi a se excludunt vel non æquis oculis aspiciunt, parum inde lætaberis. Simili plane modo si in feriis natalitiis multi quidem accedant ad s. communionem, pauci tamen debite parati; magna gens, non magna lætitia. Ergo ut genti magnæ magnum addamus lætitiā, magna sit præparatio, etc.

CONCIO II.

JUDICIUM PARTICULARIS PROCESSUS.

I. Apparatus ad iudicium. — II. Examen. — III. Sententia.

THEMA.

Tu es qui venturus es, an alium expectamus?
Matth. XI.

Misit in hodierno Evangelio Joannes discipu-

los suos ad Christum, quærens: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* et respondit Christus non verbis, sed operibus: *Euntes renuntiate Joanni, quæ audistis et vidistis*, atque ita sat superque demonstravit se illum esse, qui venturus erat in mundum. Erit autem aliquando tempus, cum Christus ad unumquemque nostrum ejusmodi legationem instituet, angelos suos mittet in articulo mortis, ut ex nobis quærant: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Paratum est in cælo magnificentum palatium, mansiones ibi plurimæ! Tu ne es, qui illuc venturus es, annon? Et væ nobis, nisi tunc operibus respondere et dicere potuerimus: *Euntes renuntiate Christo, quæ audistis et vidistis*. Audiunt enim et vident opera nostra, non angeli tantum, sed etiam dæmones, et utriusque de nobis testimonium ferent, in particulari cujusque iudicio. Et siquidem id bonum erit, comitabuntur nos Angeli boni in cælum; sin vero malum, mali in infernum. Ita enim Matth. XIII. comparavit Dominus angelos illos piscatoribus, qui secus littus sedentes et sagenam de mari extrahentes, eligunt bonos pisces in vasa, malos autem foras mittunt; extrahitur anima de mari, cum migrat de hoc sæculo, quæ ubi emigravit et in littus tracta, mox examinatur a piscatoribus angelis, littus observantibus, ut bonos ad cælum evehant, malos vero in caminum ignis mittant. Nec sufficere tunc respondere verbis ac dicere: Renuntiate Christo, me Christianum esse, catholicum esse, sacerdotem, monachum aut monialem esse; opera requiruntur, num fueris oculus cæco, pes claudus; num paveris esurientes, vestieris nudos, etc. Ita enim Prov. ult. dicitur: *Dale ei de fructu manuum suarum et laudent eam in portis opera ejus*. In portis apud Judæos iudicia exercebantur, ut patet Deut. XII. et XXII. in porta mortis iudicium exercetur animæ; et sicut portitores urbium ingredientes examinant antequam admittant, ita et in porta mortis volentem ingredi cælum, examinabunt angeli, et dabunt ei de fructu manuum suarum; qualia invenerint in eo opera, talem dabunt ei mercedem. Quoniam igitur ante octiduum deduximus animam per multas tribulationes usque ad portam mortis, deducemus eam nunc usque ad portam iudicii, et videbimus iudicii hujus processum.

I. Fiet apparatus ad iudicium, et quantum nobis conjicere licet, fere similis illi, qui fit, cum reus mortis supplicio afficiendus producit ad publicum iudicium. Primo aderit iudex Christus, qui propterea in multis parabolis prædixit se reversurum ut ponat rationes cum servis: aderit inquam, et apparebit, saltem per iudicia certa et vicarium angelum, vultu serio

et æquissimo, nulla exhibens iudicia alicujus gratiæ aut amicitiae, non arridens, aut blandiens, cujus aspectus ingentem animæ terrorem incutiet; non enim est, quod speres remissurum eum tibi vel levissimam unam culpam, nec est quod speres habiturum respectum generis, nobilitatis, notitiæ, doctoratus, pontificatus, sceptri, diadematis: quia talis erit et apparebit, qualem Pharisæi dixerunt Matth. XXII. *Magister scimus, quia verax es, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum*. Imo potius, *Horrende apparebit his qui præsumunt*, ut dicitur Sap. VI. Nec est quod speres, eum flectendum lacrymis, precibus vel sponsonibus, quia jam non ut pater, sed ut iudex apparebit. Nec est quod speres, ejus iudicium declinari, et ad aliud provocari posse, quia potentissimus: nec quod speres, fore ut aliqua lateant, quia sapientissimus et occultissimus est. Aderunt deinde sancti aliqui, quorum intererit, sive ut accusent et condemnent offensi, sive ut patrocinentur a te culti, quemadmodum ex multis historiis patet: et hi omnes item cum Christo iudicabunt, ejusque iudicium approbabunt. Aderit etiam Angelus custos et dæmon, latera tua stipaturi; ille ob munus tutoris et advocati, hic ob munus tentatoris et accusatoris, juxta locum quem eis tribuisti in vita. Si enim in peccatis vixeris et obieris, habebis dæmonem a dextris et potiori loco, quemadmodum, Ps. CVIII. dicitur: *Diabolus stet a dextris ejus. Cum iudicatur, exeat condemnatus*. Custos angelus manebit ad sinistram, tamquam a te rejectus. Contra eveniet, si bene vixeris et obieris. Unde hic mature considera, quem utriusque locum assignes; nec enim postea licebit tibi dæmonem spoliare loco suo, si dextrum obtinuerit. Ad hæc producet uterque illorum librum suum; ille bonorum, hic vero malorum operum, quæ unquam admisisti. O quantum exultabit et tibi insultabit dæmon, si viderit te minus habentem, et librum suum grandiore opertum peccatis tuis? Quantum tristabitur angelus custos? Aderit denique anima iudicanda, spoliata omni præsidio, solis operibus suis vestita, quæ eam vel ornabunt si bona, vel turpiter deonestabunt, si mala fuerint. Tametsi enim morienti plurimi assistunt, nemo tamen erit, qui animam ejus comitabitur ad iudicium. Ibi stabit misera velut bos ad macellum alligatus, velut reus a lictoribus tentus et carnificem expectans; et quid interim cogitabit, si male sibi conscia sit? Videbit supra iudicem severum, infra patulum infernum et os suum aperientem absque ullo termino, juxta dæmones insultantes, a longe custodem angelum lamentantem, et sanctos inflexibiles, coram se vitam male